

quæ vanæ, superstitiosæ, vel alia ratione damnandæ; sed de illis, unde conscientia obligatio oriri potest, ut convicta statuat, hoc fieri vel non fieri, hoc excusari vel non excusari debere: talia sunt, quæ fluunt ex verbo Dei, lege naturæ, legibus humanis, juramentis, votis, promissionibus, &c. his omnibus enim obligatur hominis conscientia. De quibus in seqq. Vid. B. König. *Proœm. cas. consc. p. 17.*

§. 9. Quia vero casus, de quibus acturi sumus, dicuntur *conscientia casus*, tota hæc doctrina rectius poterit intelligi, si, quid & quotuplex conscientia sit, & quomodo obliget, ostendatur, quod eâ, quâ fieri potest, brevitate h. l. fiet.

§. 10. Conscientia in genere describi solet, quod sit *judicium intellectus practici*, quo judicatur, aliquid bonum vel malum esse. Quia autem bonum & malum spectari potest vel ut faciendum aut omittendum, vel ut factum aut omissum, ideò conscientia interdum notat *judicium intellectus practici*, quo judicatur aliquid tanquam bonum esse faciendum, aut tanquam malum esse omittendum; ut cum dicitur, conscientia dicat parentes esse honorandos, non esse committendum adulterium. Interdum conscientia notat *judicium intellectus practici*, quò judicatur aliquid tanquam bonum vel malum factum vel omissum esse, ut cum dicitur, Judam Christi proditorem *angore conscientia* sibi ipsi violentas manus intulisse: h. l. inprimis prior acceptio locum invenit.

§. 11. Conscientia dividi solet in rectam, errantem, opinativam sive probabilem, scrupulosam & dubiam: quamvis dubia & scrupulosa conscientia propriè non sit conscientia, ratio, quia conscientia propriè est *judicium intellectus*, quò sese determinat ad alterum oppositorum, dubia autem conscientia non est tale *judicium*, cum dubitans ad neutrum oppositorum sese determinet: scrupulosa autem conscientia licet videatur esse *judicium*, tamen ob scrupulum, qui subest, & quo angitur conscientia, non plenè homo se determinat, ut existimet aliquid esse faciendum: Imò si strictius sumatur conscientia, pro *judicio*, quod ex principiis veris practicis dicat, quid agendum, quid non agendum sit, etiam erronea conscientia propriè & strictè loquendo non est conscientia.

§. 12. Conscientia recta est *judicium intellectus*, dicatans id, quod jure divino vel humano præcipitur, adeoq; reverà bonum est, esse faciendum, quod eodem prohibetur, adeoq; malum est, esse omittendum. Hæc conscientia quoad ea, quæ facienda dicat, obligat hominem ad faciendum, quod præscribit, si suo arbitrio rem agat; si vero negotium